



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CLXII. Ioannis Papae VIII. Ad Evmdem. Eiusdem argumenti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

## EPISTOLA CLXII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD EVMD EM.

Eiusdem argumenti.

*Reuerendissimo & sanctissimo Athanasio episcopo sanctæ  
Neapolitanæ ecclesiæ.*

**M**ULTAS gratiarum actiones, atque salutes almitati vestræ his nostris apostolicis referimus literis: quia nobis pro communi utilitate longe consistentibus, quasi præsentibus sinceritatem deuotionis, & fidei vestræ circa sanctam Romanam ecclesiam matrem vestram, nostrumque pontificium, atque circa fideles nostros promptam in omnibus ostendere procuratis. Quamobrem nulla inimicorum versutia, vel calliditas, vos a bono mentis proposito in aliquam sinistræ cogitationis, aut voluntatis partem inclinet: sed sicut cœpistis, perficere omnimodo fatagite: quia & meritum, & condigna retributio vobis, Christo fauente, proueniet. Nam licet inimicorum nos præpendiente fraudulenta nequitia, non omnia quæ volebamus ex toto potuissimus perficere; nunc tamen, annuente Domino, quod ad honorem sanctæ Dei ecclesiæ, & istius terræ salutem, vestramque defensionem pertinet, iam cœptum habemus, credimus nos incunctanter acturos. Proinde hortamur nihilo minus & monemus dilectionem vestram, ut sicut haec tenus, ita deinceps viriliter ac firmiter consistatis, donec speciali præsentia adiuncti simul loquamur, & pro communi salute pariter laborantes, totis conatusbus desudemus. Quoniam velut carissimum te filium retinere cupientes, benigne amplectimur, & tecum in omnibus congratulari feliciter cupimus: quia, ut dictum est, pro certo scias te dignam a nobis compensationem esse procul dubio recepturum. Hunc vero diaconum tuum, qui pro tuo amore in nostro seruitio tanto tempore fideliter mansit, sanctitati vestræ in omnibus commendamus, ut dignum a vobis recompensationis honorem percipiat. Data ut supra.